



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 7. Vsus Carnium inter Hæreticos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Pars 3. tract. 6. Resolutiones practicae ad Sc. 543
esse Catholicus absque ordine sacerdotali, aut
statu religioso.

QUÆSTIO VII. *Vsus carniū inter*
hæreticos.

An licitum sit Catholico, imminente gravi
periculo, vesci carnis inter hæreticos
tempore ab Ecclesia prohibito, ne ab iis pro
Catholico habeatur.

Resp. affirmativè, si incommodum aliàs in-
currendum sit notabile, non sola irrisio,
aut levis contemptus. Quia præceptum Eccle-
siae non solet obligare quando ejus observatio-
cum gravi incommodo conjuncta est. Neque
potest illa comestio prudenter haberi pro nega-
tione fidei. Satis enim constat Catholicos mul-
tis de causis uti cibis aliàs prohibitis, v. g. ra-
tione valetudinis, aut dispensationis.

Sed quid si hæreticus expressis verbis invitet
Catholicum ad esum carniū tempore prohibi-
to, ut hoc signo probet an verè sit Catholicus,
vel carnes illi apponat expressè in contemptum
præcepti Ecclesiastici?

Resp. illicitum esse tali casu vesci carnis,
etsi grave incommodum instaret: nisi Catho-
licus expressè potestetur, se cibis illis uti salvâ
suâ fide, ob valetudinem, aut alias legitimas
causas sibi cognitâs. Quia aliàs in illis circum-
stantiis comestio cibi interdicti determinatur
ad significandum defectionem à fide, & obe-
dientiâ Ecclesiae; quæ defectio ex nullo fine
aut ratione potest honestari. Utramque respon-
sionem confirmat resolutio Apostoli in casu
non dissimili, 1. ad Cor. 10. ubi interrogatus an
liceret

544 Pars 2. tract. 6. Resolutiones practicae ad &c.
liceret idolothyta, id est, cibos idolis oblatos
manducare; sic ait, Si quis vocat vos infide-
lium & vultis ire, omne quod vobis apponi-
tur manducate, nihil interrogantes propter
conscientiam: si quis autem dixerit, hoc im-
molatum est idolis, nolite manducare, prop-
ter illum qui indicavit, & propter conscien-
tiam.

QUÆSTIO VIII. *Templa, Conciones,
Preces Hæreticorum.*

AN licitum sit Catholicis in Anglia, aut Hi-
bernia, ullo prætextu templa Hæreticorum
adire, & eorum concionibus, psalmodiis, aut
precibus interesse?

Resp. negativè. Sic enim post diurnam
disceptationem censuerunt in præcipuis
Europæ Universitatibus viri doctissimi. Idque
demum expressè declaravit Pius V. in Bulla ca-
de re missa ad Catholicos Angliæ, 10. Kal-
Octobris an. 1606. ubi sic loquitur: *Cogimus
monere vos atque ebestari, ut nullo pacto ad hæretico-
rum templa accedatis, aut eorum Conciones audiantis,
aut cum illis in ritibus communicetis. Non enim licet
vobis hac facere sine detrimento Dei cultus, & vestre
salutis &c.* Fundamentum hujus declarationis
est, quod per Regum edicta, & communem
populi acceptionem, talis frequentatio caperit
in illis partibus haberi pro signo defectionis ab
Ecclesia Romana, & obedientiæ Regi in sacris
exhibitæ, tanquam supremo capiti Ecclesiæ
Anglicanæ, aded ut ipsi hæretici non dubita-
rent tales, tanquam Ecclesiæ Romanæ deser-
tores, suæ Sectæ annumerare. Pro negotiis
tamen